DE MAGIA

THESES THEOLOGICÆ,

IN CELEBRI ET CATHOLICA ACADEMIA INGOLstadiana An. S. N. M.D.LXXIIII. die 21 Iunij per Reuerendum & eruditum virum M. HECTOREM VVEGMAN Augustanum, SS. Theologiæ Baccalaureum Formatum, Diuæ Virginis apud eandem Academiam Parochum, pro impetrando Licentiæ gradu, ad publicam disputationem propositæ: Præside Reuerendo & Clarissimo viro ALBERTO HVNGERO, SS. Theologiæ Doctore & Professore ordinario, Collegij Theologici pro tempore Decano.

Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos, Ego Dominus Deus uester. Leuit. 19.

Nolo uos socios fieri Dæmoniorum. 1. Cor. 10.

INGOLSTADII
EX OFFICINA VVEISSENHORNIANA.

A. 8058. BK

GENEROSO ET MAGNIFICO VIRO DOMINO PHILIPPO FVGGERO, KIRCHbergæ & VVeissenhornij Domino &c. Catholicæ religionis & omnium bonarum artium optimo studiosissimoq; patrono S. D.

HAVD OBSCVRVM EST, GENEroſe ac Magnifice Domine, Diabolum pro ſuo illo in genus humanum implacabili odio iam indè ab origine mundi ad decipiendum & nocendum ſemper fuiſſe cupidißimum maximeq; intentum. Et quis omnes ipſius dolos fallendiq; modos, quibus miſeros mortales faſcinare ſolet, enumerare ualeat? Errant qui per Idolomaniam à Deo creatore ad creaturam deſciſcunt. Errant qui in aliquam prolapſi hæreſin ſcindunt ſe à ſancta & orthodoxa Eccleſia. Errant uerò non minimum & ij, ut cæteros quos inimicus ille aſtutißimus à recto ueroq; tranſuerſos agit prætream, qui prohibitis atq; illicitis artibus, conſilijs, pactisq; Diabolicis ſeſe dedunt. Hi etenim ſunt, quos pares impietate Idololatris, perfidia Hæreticis non immeritò dixeris, quandoquidem promiſſam in baptiſmate fidem reſcindunt, & non Chriſto ſed Belial, non luci ſed tenebris deſeruiunt, dæmonumq; ſocij effecti, non in nomen Domini, ſed in uanitates & inſanias falſas impiè reſpiciunt. De his ut eam quæ mihi ante licentiæ Theologicæ ſuſceptionem proponenda erat potißimum proponerem Diſputationem, præter rei ipſius indignitatem inſignemq; iſtiuſmodi curioſitatis & ſuperſtitionis impietatem, duo præcipuè me impulerunt. Nam primum animaduertebam quos noſtrum infœlix ſæculum habet nimium multos prophanarum nouitatum authores, eos adeò perperam, & diſtortè hac in parte iudicare, ut penè inter Magiam & non Magiam nullum uideantur diſcrimen relinquere. Quippè qui, quod à Magia tantum abeſt, 1. Corinth. 10. Pſalm. 39.

quanium à terra cœlum, Magicum impudenter & flagitiosè calumnien-
tur, quod autem uerè Magicum est, quod ex uniuerso orbe Christiano
procul debebat eliminari perpetuisq; tenebris obrui, quibuscunq; modis
possunt instaurent atq; ab interitu uindicent. An quisquam est paululũ in
istorum libris uersatus, qui nesciat quæcunq; apud Catholicos religiosa
consecratione piaq; nominis diuini inuocatione ad certum aliquem sa-
2. Timorh. 4. crum cultum siue humanum usum aptantur, & D. Paulo teste sanctifican-
tur, ea blasphemo quodam sacrilegio & sacrilega blasphemia ab istis uo-
cari superstitiosa, Magica, Diabolica? An autem illud non est fauere ni-
mium his quæ uerè Magica sunt, quod isti ipsi, Euangelici scilicet uiri, pa-
làm edunt & in uulgus spargunt, quæ non solùm pestiferas in sancta fide
dissensiones, ac ueluti ex orco reuocatas hæreses suadent, sed etiam ma-
nifestam Magiam atq; execrandam Idololatriam edocent? Testantur id
quod dico ex illorum officina non ita pridem in lucem prolati libelli com-
plures Magici, ut cuiusdam Cornelij cæremoniæ Magicæ, cuiusdam Pe-
tri Elementa Magica, quomodo ad apparitiones, obsequia & colloquia
Dæmones sint euocandi, alius item tractatus continens formulas incan-
tandi Magicas, quas illius tractatus author se expertum fuisse oppidò
quàm impudenter profitetur, addens etiam tribus uicibus Magia per
cribrum se pro uoto usum. Fuit & altera, Generose ac Magnifice Do-
mine, præsentis Disputationis causa non minima, quod cum ante trienni-
um ferè in Academia Dilingana ad consequendam in SS. Theologia pri-
mam lauream de more pro ingenij tenuitate theses quasdam Theologi-
cas ex secundo sententiarum. libro de Naturæ Angelicæ & creaturæ spiritua-
lis productione desumptas defenderim, hoc unicum ad perfectam illius
materiæ completionem restare mihi uisum fuerit, ut quod tum consultò
prætermiseram de naturali Angelorum seu etiam Dæmonum ui ac po-
testate aliqua in medium afferrem. Id quod nunc, si non totum, certè ma-
gna ex parte me præstaturum conijciebam, si de Magia quam Dæmo-
num adiutorio & potestati haud immeritò adscribimus breuiusculam
Disputationem instituerem. At quoniam ut uideo perturbatissimum hoc
sæculum bonis studijs parum æquum & gratum defensores afflagitat, te
Generose ac Magnifice D. sine ulla dubitatione delegi, cui ingenij mei &
Theologici studij has ueluti primicias consecrarem, tenue quidem mu-
nus, quod tamen te pro ueteri tua in me beneuolentia & in omnes studio-
sos benignitate minimè repudiaturum confido. Suscipe igitur hilari uul-
tu hanc qualemcunq; meæ in te obseruantiæ testificationem, eamq; tuo

patro-

patrocinio tanquam Aiacis clypeo tuere ac protege. Sic laudem tibi haud paulò maiorem conciliabit singularis humanitas tua, mihi autem securitatem authoritas uirtus atq; doctrina tua, qua te non modò Germania nostra superior doctis magnisq; non infœcunda uiris, uerum etiam Germania inferior, Gallia atq; Italia præclarè admodum auxerunt & perpoliuerunt. Ad Christianæ Reipub. salutem ut te Christus optimus Maximus quàm diutißimè sospitem conseruare uelit, etiam atq; etiam precor. Ingolstadij 14. Iunij, Anno 1574.

T. Generosæ ac Magnificæ
Dominat.

deditißimus

Hector VVegman Augustanus
Vindelicus.

DE MAGIA

THESIS I.

MAGIA, si receptam vocabuli significationem spectemus, aliud nihil est, quàm ars & facultas ad perficienda opera occulta atq; mirabilia extra solitum rerum cursum, ac suprà hominum opinionem captum q;

Orig. in cap. 2. Math. & hom. 13. & 16. sup. Numer. Hieron. in 2. cap. Daniel. & in 2. contra Iouin. Iust. in quæst. gent. q. 24. & 26.

II. Et est illa duplex, vna quidem naturalis & concessa, altera verò prohibita & infamis.

III. Naturalis dici consueuit, quæ absq; commercio & opera alicuius substantiæ immaterialis res tàm admirabiles efficit: Quippe quæ sit veluti consumatissimus philosophiæ naturalis apex ac practica ipsius portio tàm nobilis, vt eam plæriq; præstantissimi Philosophi studiosissimè iam olim conquisierint & in arcanis habuerint.

Democritus, Pythagoras, Emped. Plato, & inter nostros Albertus Magnus.

IIII. Assumentes istiusmodi Magi vtpotè accuratissimi rerum naturæ exploratores ea quæ à natura præparata sunt, applicantesq; actiua passiuis iuxta mutuam eorum antipathiam & synpathiam sæpenumero ante tempus à natura definitum, producunt effectus, quos vulgus putat miracula, cum tamen naturalia opera sint & naturæ viribus arte ministrante edita, vt si mense Ianuario rosas vel vuas maturas progenerent, fabas vel petroselinum intra paucas horas in perfectam plantam excrescere faciant.

V. Ad hanc Magiam naturalem occulti ijdemq; admirabiles rerum naturalium, lapidum, herbarum &c. effectus reducendi sunt, quorum cognitione si quis polleat, rectè profectò Magus naturalis dici poterit.

VI. Ita si Magnetis vsus vulgò ignotus esset, & aliquis eum primum ostenderet, Magus ille vulgò haberetur. Esset. n. admirabilis & incredibilis operis per hanc suam scientiam author. Equidem ad istius lapidis vim ipse quoq; D. Augustinus vir non modò eximiæ sanctitatis, verum etiam incomparabilis eruditionis, vehementer se inhorruisse quando primum eã aduertit, ingenuè in suo illo rerum mirabilium catalogo fatetur.

Lib. 21. de Ciui. c. 4.

VII. Quæ cum ita sint, nemo tam rigidus ac præceps erit rerum censor, qui vbi ignotum, stupendum & insolitum quid viderit,

viderit, continuò id tanquam superstitiosum damnet, vel in substantiarum separatarum potestatem referat, maximè si arte vel concursu rerum naturalium illud idem fieri posse conuinci queat.

VIII. Est nihilominus præter Magiam hanc naturalem ars alia Magica, quæ solis viribus & caussis naturalibus non constat, sed potestate ac virtute aliqua immateriali nititur ac vtitur.

IX. Plurimos etenim videas Magicarum artium effectus qui non nisi in causam & naturam intellectualem referri possint, vt quod Magi responsa exhibeant de occultissimis quibusdam rebus, de furtis, thesauris &c. quod aliquæ statuæ locutæ comperiantur, quod ad præsentiam alicuius feræ pandantur, quod aliquis, cum voluerit, inuisibilis reddatur, aliaq; id genus. D. Thom. cont. gent. c. 104.

X. Necessum itaq; est vt talium effectuum & Magicorum operum author fautorq;, sit vel Deus ipse vel angelus vel anima separata vel Dæmon.

XI. Nam Dæmones aliquos, hoc est, spiritus malignos, malorum quæ geruntur auctores, immateriales & angelos apostatas esse, adeò certum est, vt tàm in vera religione quàm in recta & legitima philosophia versanti minimè dubitandum sit. Lactant. lib. 2. diuin. Instit. c. 15, 17.

XII. Etenim tota veteris & noui testamenti scriptura vsq; adeò testimonijs referta est, vt non solùm Dæmones, & quod est apud Lactantium ἀνγέλους πονηρούς esse, integras etiam de ijs historias texendo planè & disertè fateatur, verum etiam eorum cultum nusquam non detestetur & prohibeat, vt mirum sit Saducæos spiritum aliquem esse negare potuisse, cũ tamen legem reciperent eamq; custodirent, & à consortio templi vel sacrificiorum, Iosepho teste, minimè excluderentur. Tob. 6. 7. Iob. 1. Leuit. 17. Deut. 32. Act. 23. Lib. 2. de bello Iud. & lib. antiq. 13. & 18.

XIII. Fallitur proinde Philosophus qui satis superq; se ostendisse putat nullas, præter orbium cœlestium motores, spirituales esse substantias, & quod in problematibus Abrepticios, qui à Dæmonibus tenentur, ab humore tantum melancholico vexari perhibet. 12. Metaph. Sect. 30. q. 1.

XIIII. Falsò etiam calumniatur Auerroes cum Simplicio hanc de Dæmonibus opinionem meram esse hominum persuasionem, qua barbari & simplices à sapientibus fuerint imbuti,

imbuti, vt ipsos tererent & arcerent à flagicijs, vt quorũ crudelissimi post hanc vitam mortalem superessent vltores.

Apuleius, Iamblichus, Plotinus, Plato ipse in Polit. Tyran. & in Sympos. aliisq; in locis.

XV. Rectius multò Platonici cum Philosophorum antiquissimis Empedocle, Pythagora & alijs qui Dæmones esse, & verè impios torquere post mortem certissimum habuerunt.

XVI. Quin & vulgatissimum illud est de Socratis Dæmone, quem tanquam authorem & philosophiæ præceptorem sese habere affirmabat, qui sibi à puero adhæserit, cuius arbitrio & nutu tota eius vita regeretur, cuiusmodi Dæmonas veteres Romani Medioxumos, Genios, Lares & Penates vocare consueuerunt, quos nec antiquissimi Poetarum ignorarunt, vtpotè qui ab Hesiodo terrestres mortalium custodes dicantur. Quod idcirco Lactantius dictum putat, quia cum reuera sint perditores hominum, custodes tamen videri volunt, vt excluso vero DEI cultu, ipsi soli colantur.

XVII. Vsq; adeò tamen mirandum non est Peripateticos homines alioquin sapientes hac in parte lapsos esse, vt Dæmones non agnoscerent. Quandoquidem illi per accidens potius in hoc orbe sunt inferiore quàm per se & vt publica pars ipsius, nempe huc deiecti ex malitia sua. Quem casum gentilitas ignorabat.

XVIII. At nunc cui Substantiæ Intellectuali Magorum opera tribuemus? DEO certè & Angelis bonis minimè tribuemus. Nõ enim hi alliciuntur in hominum opera arte & disciplina (est autem Magia ars & disciplina quædam) sed pietate aut sua propria bonitate ac gratia.

D. Thom. 3. cont. gent. c. 106.

XIX. Neq; delectantur ostentatione, studio nocendi mortalibus, præstigijs mendacijs, incongruis ac planè dissonis ritibus, impossibilibus quibusdam imprecationibus & comminationibus, in quibus maximè ars Magica cernitur.

XX. Amplius, non est Intellectus benè secundum virtutem dispositi familiarẽ esse & patrociniũ exhibere sceleratis, & non quibuslibet optimis viris, item abducere hominem à maioribus bonis qualia sunt virtutes & præstantissimæ quæq; scientiæ atq; pertrahere ad aliqua minima bona, hoc est, ad inuentionem furti, aliaq; eius farinæ. Cum igitur arte Magica plærunq; vtantur homines improbi, & ex illa non sequatur profectus in bonis rationis, sed tantum in istis minimis, satis perspici potest illam Dei bonorumq; Angelorũ potestati atq; auxilio nequaquam inniti.

XXI. Con-

XXI. Conferunt quidem boni Angeli (vtpotè dæmonibus quoad naturalem poteſtatem non inferiores) etiam DEO mandante aliquando plurima mortalibus beneficia, non tamen ea vel ad oſtentationem, vt Magi, vel vt colantur ab ijs, vt Dæmones, expetunt, ſed ſolum ex charitate, & vt DEO ſoli gratiæ referantur. Qua de cauſa vt plurimum inuiſibiliter & occultè eiuſmodi dona ac beneficia impartiuntur. Apocalip. c. 19.

XXII. Pari ratione beatas animas, etſi vel ex propria bonitate vel diuina ac particulari permiſſione è cœlo in terram deſcendere, ac mortales iuuare poſſint, ad inuocationem tamen vel incantationem Magorum hoc non facere nobis indubitatum eſt.

XXIII. Animæ quoq; in Purgatorio exiſtentes, ſi ex peculiari gratia aliquando exire permittantur (à quo loco aliâs exire non poſſunt) ſanè non ad Magorum iuuandas præſtigias, vel ad communicandum & miſcendum ſeſe eorum operibus, imò nec mortalium prorſus rebus, ſed ad petendum viuorum ſuffragia potiſſimum veniunt.

XXIIII. Quare non eſt credibile ſtrepitus illos nocturnos, qui aliquando audiuntur, & inquietationes in domibus aut phantaſticos ignes qui accendi videntur, & alias ludicras operationes à talibus animabus prouenire, cum in charitate ſint & iſta iocularia ipſis minimè conueniant, ſed vel Dæmonum opere talia fieri, qui diuina poteſtate ligati hominibus aliter nocere non poſſunt, vel malignitate hominum, vt aut hiſce terriculamentis terreant, aut tali prætextu & falſo illo animarum apparentium titulo mali quid perficiant, vel etiam tertio, quia propter Phantaſticam & Melancholicam debilitatem ægris tale quid videtur quod in rei veritate nihil eſt.

XXV. Animas verò in inferno poſitas, & veluti perpetuo carceri mancipatas exindè ad nocendum vel etiam boni aliquid faciendum egredi poſſe etiam dæmonibua iuuantibus, niſi ſpeciale interueniat mandatum DEI, minimè metuendum eſt.

XXVI. Quamuis nè quidē ex tali mandato vel licentia vnquam vllam animam damnatam inferni locum egreſſam eſſe probabile ducamus, maximè cum nec diuiti illi ad fratres ſuos de officio pœniſq; inferni commonendos redire permiſſum fuerit. Luc. 16.

XXVII. Quamobrem maiori ex parte apparitiones & visiones illas quæ referuntur, falsas esse putamus, minimeq; dictis quorundam fidem adhibendam, qui ab inferno sese venire asserunt, etiamsi pia aliôquin & religiosa monere videantur. Si quæ tamen visiones veræ sint eas ab ipsis dæmonibus esse existimamus, qui ad confirmandum gentilium errorem sese defunctorum animas esse simulant.

S. Thom, p.p.q. 117. ar. 4. ad 2. Chrysosto. hom. 29. in Matth Aug. 10. de Ciuit. cap. 11.

XXVIII. Cum autem in substantias illas, de quibus hactenus, referri magorum opera non possint, consequens est vt in Dæmonum potestatem auxiliumq; referantur, qua in re communis doctissimorum quorumq; Ecclesiæ[a] Doctorum cõsensus ex sacris literis desumptus nobis suffragatur.

Aug. lib. 8. de Ciuit. c. 19. & 10. lib. ca. 9. & lib. 2. de doctrin. Christia. c. 23. 24. 25. & l. 3. de Trinit. c. 8. Origenes hom. 13. Num. & lib. 3. in Iob. Et Lactantius 2. lib. Instit. c. 15. & S. Thom. de potent. q. 6. a. 10. & contra gentes lib. 3. cap. 106.

XXIX. Dæmonum, inquit Lactantius, aspirationibus Magorum ars omnis atq; potentia constat. Et D. Augustinus: Omnia miracula Magorum doctrinis fiunt & operibus Dæmonum. Idem alibi: Per angelos præuaricatores & aëreas potestates Magi possunt quicquid possunt.

XXX. Et quid mirum sit Dæmonem Magicorum operum authorem & fautorem constituere, cum in eo non obstante peccato, naturalia dona integra permanserint.

Dionys. de diuinis nomi. cap. 4. S. Thom. p. p. 64. ar. 1.

XXXI. Accedit huc quod Dæmon non quidem ex naturæ suæ condicione, sed ex statu suo propter insanam illam & prodigiosam superbiam in malo inflexibilis & obstinatus, in tam cæca ambitione permaneat, vt DEO sese æquare & diuinos appetere honores non vereatur. Quos cum in cœlis sese iam assequi posse non speret, illos tamen ab hominibus in Angelum lucis sese transfigurans varijs vel donis vel præmijs, prout quemq; concupiscere nouit, eos alliciendo (quos aliâs odio & inuidia permotus ad sempiternam perniciem pertrahere nunquam non conatur) miris fraudibus & technis accipere quotidiè procurat, & sicuti de Proteo dictum est, Formas se vertit in omnes, hostiliter insequens, fallaciter subueniens, vtrobiq; nocens.

Damasc. lib. 2. de fid. cap. 3. & 4. Aug. lib. de fid. ad petr. & de mirabilib. scrip. lib. 1. cap 2. Isidorus de sum. bono. Anselmus de casu diaboli. & Scholastici. 2. sent. d. 7.

Aug. lib. 10. de Ciuit. cap. 10.

XXXII. Hinc isti tam diuersi Diabolici cultus professores, nec non pestilentissimi Magorum, Diuinatorum, Maleficorum, Strigum, Necromanticorum &c. ritus & mores, quibus Dæmonem honorant. De quibus omnibus, quoniam ad Magiam spectare, vel non inconuenienter referri videntur, quid sentiamus, paulò post aperiemus.

XXXIII. Modò

XXXIII. Modò de naturali Dæmonum potestate (quæ quidem Magos & reliquos eius sortis Maleficos opera sua peragere omnes sibi persuasum habent) paucula dicamus. Vbi primum illud certissimum est, Angelos tam malos quàm bonos præter motum cœlorum alias etiam operationes in hæc inferiora exercere posse, vt proinde Dæmonibus & Magis Dæmonum virtute sublunaris huius orbis corpora immediatè mouere, ac de loco ad locum etiam per maxima spacia transferre non sit difficile. Dan. c. 14. Iob. c. 1. Matth. 4. Act. 8.

XXXIIII. Quocircà non est impossibile, experientia etiam id comprobante, vetulas quas Lamias & Striges nominant, in rei veritate per aëra transferri, & in solitudinem seu quemuis locum remotissimum ad hominum vel Dæmoniorum societatem deduci, quamuis vt plurimum etiam per dæmonum illusiones & sensuum interiorum commotionem veluti exanimes in eodem loco relinquantur, vt credant se per aëra translatas vidisse & egisse, vel etiam hæc & illa passas esse, quæ tamen in rei veritate nunquam fuerunt, sed per solam imaginationem contigerunt.

XXXV. Non tamen Dæmones facere possunt, vt illæ per spacium transeant improportionatum puta per exigua foramina in cellis vinarijs, & per similia loca angustiora quàm sint ipsarum corpora.

XXXVI. Quod si autem tale quid verè accidit, existimandum est Satanam loco mouere lapides, & alia materialia quæ deinde restituat, vel alio quodam simili modo, vt est mille artifex, valdeq; potens spiritus.

XXXVII. Nam vnĩ corpus per aliud aut maius corpus per spacium improporcionatum permeare virtuti repugnat finitæ, cuiusmodi est Dæmonum, tametsi non repugnet infinitæ. Vnde D. Augustinus: Dicis mihi, si per ostium clausum Christus intrauit, vbi est corporis pondus? recedant paulisper modus & pondus, ille hæc fecit, cui nihil impossibile est. Magnum equidem miraculum, sed mirari desines si DEVM cogitaueris, refer ad omnipotentiam non ad phantasiam, Ianuis clausis intrauit. Ser. de temp. 159. & 160. Ioan. 20.

XXXVIII. Est igitur nouatorum nostrorum nõ modò ridiculum, sed planè etiam in Christi gloriam iniurium cõmentum quod dicunt, Christum ad discipulos suos intrasse ianuis

Beza in lib. de omnipræsentia Christi, & alij nonatores plures.

nuis clausis, non ita quidem vt manerent clausæ, (corporum enim penetrationem diuinæ virtuti possibilem esse pernegant) sed vt cũ essent clausæ ad ipsius accessum reserarentur & aperirent. Quo eod. modo eũ volũt resurrexisse ꝑ monũ clausum.

XXXIX. Porro cœlum aut sistere, aut contrario motu mouere, vel etiam terram de loco suo mutare Dæmones posse neutiquam credendum est, cum tanta sit connexio & ordo totius vniuersi, vt contra eum nulla particularis causa ex ordine naturali agere valeat (non enim, vt Apostolus ait, Angelis subiecit orbem DEVS, vel, vt D. Augustinus loquitur, ad nutum illis seruit hæc visibilium rerum materia) quicquid tandem ille dixerit:

S. Thom. de potent. q. 16. ar. 8. Et 3. cont. Gent. cap. 108. Heb. 2. Aug. 3. de Trinit. cap. 6.

Vergilius. Ouidius.

Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam, Et alius: Illa reluctantem cursu deducere Lunam Nititur & tenebras addere Solis equis.

XL. Probabile videtur Intelligentias quascunq; siue bonas siue malas mouere localiter per qualitatem seu virtutem aliquam ab essentia, intellectu & voluntate earum distinctam.

Aug. de Trinit. lib. 3. c. 8. & 9, & 18. de Ciuit. c. 18. S. Thomas p. p. q. 65. art. 4. Magist. sent. 2. d. 7.

XLI. Nullo tamen modo arbitrandum est Dæmones, vel Magos virtute Dæmonum formam aliquam siue substantialem, siue etiam accidentalem ex se immediatè producere, seu in naturalibus & materialibus rebus imprimere posse, vt videlicet calorem, frigus, morbum & similia.

XLII. Possunt nihilominus solo motu locali applicando causas naturales actiuas passiuis & semina rerum, quarum virtutes & proprietates, & efficatiam perfectissimè callent, præter solitum naturæ cursum, & hominum captum celerrimè aliquid efficere.

Aug. 3. de Trinit. cap. 7. 8. 9.

Aũgust. ibid.

XLIII. Qua ratione Dæmones à Magis Ægyptiorum euocatos, veros serpentes & ranas fecisse, non inconuenienter asseri putat D. Augustinus & alij.

XLIIII. Quapropter vt omnes transmutationes corporalium rerum quæ fieri possunt per aliquas virtutes naturales ad quas pertinent semina, quæ in elementis huius mundi inueniuntur, fieri etiam possunt per operationem Dæmonum huiusmodi seminibus adhibitis: ita transmutationes illæ quæ virtute naturæ fieri nequeunt, nullo etiam modo Dæmonum operatione secundum rei veritatem perfici queunt, vt quod

corpus

corpus hominis mortuum reuiuiſcat aut manente ánima rationali in figuram brutorum mutetur.

XLV. Verba Auguſtini ſunt: Nõ itaq; ſolum animum ſed nec corpus quidem vlla ratione crediderim Dæmonum arte vel poteſtate in membra vel lineamenta beſtialia veraciter poſſe cõuerti. Proinde quod homines dicunt, mandatumq; eſt literis, à Dñs, vel potius Dæmonibus Arcades in lupos eſſe conuerſos, & quod carminibus Circe ſocios mutauit Vlyſſis, ſecundum iſtum modum mihi videtur fieri potuiſſe, quem dixi, nempe quia Dæmones fecerint iſtos homines ea videri quæ nõ erant. Neq; enim dæmonibus iudicio Dei permiſſis huiuſmodi præſtigiæ difficiles eſſe potuerunt. Hæc Auguſtinus. Lib. 18. de Ciui. cap. 18.

XLVI. Et in decretis eſt: Quiſquis ergo credit poſſe fieri aliquam creaturam, aut in melius, aut in deterius mutari, aut transformari in aliã ſpeciem, vel ſimilitudinem niſi ab ipſo creatore qui omnia facit, infidelis eſt & pagano deterior. 26. q. 5. c. Epiſcopi. Ex concilio Ancyr.

XLVII. Poſſunt præterea Angeli & mali & boni non tàm imaginatione quàm veritate variorum corporum aſſumptorum apparere, aliter tamen Angeli boni, aliter mali ſe ad aſſumpta corpora habent. Boni enim aſſumunt corpora ex aëre condenſando & colorando ipſum virtute diuina, Mali autem id non poſſunt niſi applicando cauſas naturales actiuas paſſiuis. Aug. 15. de Ciuit. cap. 23. S. Thom. p. p. q. 51. ar. 2. ad 3.

XLVIII. Neq; hoc omittendum, Dæmones Succubos & Incubos appellatos, cum per aſſumpta corpora generare dicuntur, non propria virtute tanquam per ſemen ab eis vel à corporibus aſſumptis deciſum id facere, ſed per aliundè acceptum, ſicuti & aliarum rerum ſemina aſſumere ſolent ad aliquorum generationem: vt proinde ille qui ita naſcitur, non Dæmonis, ſed alterius hominis à quo ſemen acceptum fuerit, filius dicendus ſit. De his D. Aug. loc. prox. cit., & Innoc. 8. in epiſt. decret. S. Thom. p. p. q. 51. ar. 3. & de potent. q. 6. ar. 8. ad 5.

XLIX. Ex his quæ diximus, & illud colligi poteſt, Dæmones quidem per cauſarum naturalium applicationem à multis ægritudinibus, à quib. nulli Medici poſſent, curare poſſe, non tamen ab omnibus, vt videlicet à morbo ſenectutis cũ non ſuppetant remedia naturalia, per quæ homines ex quolibet morbo reſtitui valeant. Imò quidẽ probabile videtur, vel ad eam duntaxat ætatem quæ ſub inicio Mundi quibuſdam contigit à Dæmonibus per medicinalia remedia hominẽ neutiquam poſſe perduci. Genes. 5.

L. Nequaquam etiam Dæmon hominis phantaſiam per ſe imprimendo nouas ſpecies immediatè immutare poteſt, niſi fortè aliquando exterius formato aliquo corpore phantaſtico quo mouet oculos, ſed mouet ille interiores ſpiritus vbi ſunt ſpecies, & ita offert ſenſui interiori quod vult, vt videantur res verè eſſe præſentes, & in rei veritate geri, quæ tamen nec præſentes ſunt nec geruntur.

LI. Multò minus verò cenſendum eſt eum, in voluntatem vel Intellectum hominis (potentias nimirum immateriales, & à ſolo DEO dependentes) immediatè eas immutando agere poſſe, quamuis poſſit mediatè, quatenus vi motus localis in ſenſus exteriores à ſpiritibus dependentes, in quibus rerum ſpecies & idola latere ſolent, aliquid agit.

3. Reg. cap. 8. 2. Paralip. 6. Hierem. 17. Pſalm. 7, Rom. 8, Heb. 4. Sap. 1. Math. 9. Luc. 5. Ambroſ. Hieron, & alij in Luc. c. 5. & Chryſoſt. hom. 23. in Ioan. D. Aug. de diuinat. Dæmo. & 2. Retract. S. Thom. de potent. q. 6. ar. 3. S. Thom. p. p. q. 114. ar. 4.

LII. Similiter Dæmones actus liberos hominis & cordis cogitationes in ſeipſis ſeu in potentijs ſuis nequaquã, quod ſolius magni DEI eſt, cognoſcere poſſunt, etſi ab effectu & ſignis talia cognoſcere poſſe non ſit inconueniens.

LIII. Cæterum cum limitatæ & finitæ virtutis Dæmones ſint, vt ſuprà innuimus, miracula propriè dicta facere minimè poſſunt, ſed miranda quædam potius virtute naturali DEO permittente, in quibus eorum per modum artis ſplendet operatio.

LIIII. Miraculum nanq; propriè dicitur, quod præter ordinem totius Naturæ creatæ fieri ſolet, & ad quod diuina & illimitata virtus requiritur, quam tamen Dæmonibus minimè conceſſam eſſe non eſt dubium, cum etiam in ijs agendis à DEO ſæpius ligentur & impediantur, ad quæ naturalis eorũ virtus aliâs ſeſe extendere poſſet, dicente D. Auguſtino: quod DEVS per Angelos ſuos Dæmonibus & illa plærunq; non permittit quæ conceſſit vt poſſint.

S. Thom. de potent. q. 6. ar. 5.

3. de Trinit. c. 9.

LV. Ac quanquam poteſtas aliqua miracula faciendi à DEO detur non ſolum Angelis hominibuſq; bonis, verum etiam hominibus malis, tamen ea Dæmonibus non tribuitur. Homines enim qui vita mali ſunt, veritatis tamen annunciatores ſunt, & ideo DEVS in teſtimonium veritatis per eos miracula facit, quod de Dæmonibus dici non poteſt, quorum voluntas tota in malo obſirmata & pertinax eſt.

S. Thom. ibidem.

LVI. Vnde aduentum Antichriſti ſecundum operationem Sathanæ in omni virtute & ſignis & prodigijs mendaci-

bus

bus futurum D. Paulus scribit, hoc est, vt D. Cyrillus Hierosol. non secundum vera miracula, sed secundum artem Magicam. 2. ad Thes. 2. Catechesi. 15.

LVII. Nimirum mirabilia siue admiranda quædam dæmones facere possunt duplici modo, si à Deo non impediantur, vel vt virtute naturali hos solos effectus producant, ad quos inueniuntur virtutes aliquæ naturales in corporibus, quæ eis ad motũ localẽ obediant, vt sic eas ad aliquẽm effectum possint celeriter applicare, quibus veræ corporum transmutationes fiant, sicut alias secundum naturalem cursum rerum vnum ex alio generari videmus, vel secundo vt aliqua mutatione corporali facta, quædam quæ non sunt in rerum natura in imaginatione per commotionem organi phantasiæ secundum diuersitatem spirituum & fumorum, apparere faciant, & ita ex immutatione aliqua imaginationis sensibus illudant. Quarum tamen operationum neutra miraculosa, sed artificiosa potius dicenda erit.

LVIII. Hinc varia tam dæmonis quam etiam magorũ stupenda opera, & mira prodigia quorum hactenus quædam attigimus, complura autem tum in sacris, tum in prophanis scripturis reperiuntur, interpretari non erit difficile. Exodi 7. Iob 1. Aug. de Ciuit. lib. 18. Cicero lib. 1. de diuinat. Valerius Max. Plinius lib. 7. c. 28. & S. Thomas de potentia q. 6. art. 5.

LIX. Facessat ergo procul cæca gentilium pertinacia, vel potius execranda blasphemia qui religionis nostræ Christianę authoritatem tot miraculis à Christo & apostolicis viris corroboratã eneruare, & hoc potissimum nomine prosternere conantur, quia similia etiam per magiam fieri possint, & magus fortè Christus fuerit.

LX. Nam vt cætera argumenta quibus ista impiissima in Christum ac doctrinam eius contumelia retunditur omittant, mortuos suscitare, cæcos illuminare, claudos iam aridis membris restaurare, cum in rerum naturalium seminali ratione non sint, per magiam contingere non possunt. Vide Aug. lib. 1. de cons. Euang. c. 9. 10. 11. Athanas. in lib. de ham. verbi.

LXI. Alia quoq; miracula cuiusmodi erant sanitas & similia, quamuis forsan rerum naturalium applicatione, quantum ad substantiam, exhiberi potuissent, ex illa tamen operandi ratione non Magiæ patrocinio, sed diuinitus edita fuisse hinc colligitur, quod non dæmonum qui subitò res naturales vndiq; conquisitas proferrẽt, sed veri Dei, aut Christi inuocatione in re-

in religionis quæ docebatur atteſtationem citra vllam moram facta nouimus.

LXII. Quin verò & aliqua miracula ideo feciſſe dominum conſtare poſſumus, applicando nimirum naturales virtutes contrarias prorſus ei quod debebat facere, vt vel hoc ipſo diuinitatis ſuæ, & veritatis præbendo argumentum, propria idipſum virtute ſeſe efficere, neq; ad cauſas naturales alligatū eſſe conteſtaretur. Quale cum cæco nato factum legimus, & quod de Cataplaſmate illo ex ficubus confecto, mortiferum fuiſſe Hieronymus commemorat.

Ioan. 9.

Hier. in Eſai.

LXIII. Talis ergo cum ſit poteſtas dæmonum non quidem ad omnia, attamen ad multa, fit vt & Magi miranda quædam poſſint, non quidem vi characterum verborum & rituum ſuorum, ſed vi dæmonum quos vel expreſsè, vel tacitè hiſce veluti ſignis euocant.

LXIIII. Magorum genera diuerſa ſunt pro officiorum quæ gerunt, & rerum quas dæmonum opera & fauore impetrare ſeu exercere cupiunt diuerſitate. Alij magna aliqua & mirabilia facere poſſe vehementiſſimè deſiderant, vt per horum mirabilium operationem ab alijs ſuſpiciantur, & illis in miraculum & ſtuporem ſint, qui propriſſimè videntur quibuſdam Magi vocari.

LXV. Alijs verò tanta ineſt ſciendi cupiditas, vt occulta etiam cum fidei Catholicæ & propriæ ſalutis diſpendio improba curioſitate, & illicitis modis diſcere conentur, & hi ſunt diuinatores rerum futurarum cognitionem & vaticinia per diuinationem ſectantes, quæ quidem aliud nihil eſſe deſcribitur quam Enunciatio inordinata eorum, quæ per naturam ac cauſas neceſſarias, ſiue determinatas cognoſci non poſſunt, nec à Deo reuelata ſunt.

S. Thom. 2. 2. q. 95. art. 1.

LXVI. Eius tanta diuerſitas eſt quantam ipſarum rerum diuerſitatē ad eam dæmoni collibuit adhibere. Poteſt tamē tota reduci ad 4. hæc genera. Quædā. n. diuinationes expreſſam continent pactionem dæmonum eorumq; ſiue inuocationem, ſiue adiurationē, vt ſunt Necromantia, Sciomantia, & omnes quæ in aquas, ſpecula, Criſtallos, annulos, aliaſq; res dæmonem aduocant, aut iam ante præſentem interrogant.

LXVII. Aliæ pactum continent obſcurius quarū duæ ſunt claſſes, in vna ponuntur artes conſiderantes ipſos motus

& di-

& dispositiones rerum naturalium, vt ex eis futura conijciant. In qua sunt Astrologia illa iudiciaria superstitiosa, Aruspiciū, Chiromantia & aliæ plures. Altera classe comprehenduntur illæ artes, quæ sibi ipsis signa, ex quibus ariolentur, fabricant, non à natura accipiunt, cuius farinæ est Geomantia ex punctis augurans figurarum in cinere, rotulæ fabricatio, plumbi liquefacti in frigidam coniectio & aliæ plures. Inuenies etiam quæ vtroq; genere participant, dum partim sibi parant, partim ab ipsis accipiunt rebus signa futurorum significatiua.

LXVIII. Sunt tandem & Malefici qui non tàm ad ostẽtationem quàm ad nocumentum inferendum Dæmonis ope vtuntur, de his & de Diuinatoribus nunc aliquanto plura adijciamus.

LXIX. Ad Diuinatores quod attinet, primò sciendum plærunq; Diabolos suis Magis prænunciare quæ ipsi facturi sunt, accipiunt enim sæpè potestatem morbos immittendi, aërem inficiendi, & peruersis atq; amatoribus terrenorum commodorum malefacta suadendi, de quorum moribus certi sunt quod eis talia suadentibus sint consensuri. Aug. lib. de diuinat. Dæmo.

LXX. Aliquando nonquæ ipsi facturi sunt, sed quæ ex naturalibus signis futura prænoscunt (quæ signa in hominum sensus venire non possunt) prædicunt. Sunt enim hominibus & acumine intelligendi & experientia temporum propter longitudinem vitæ multis parasangis superiores. Deniq; quædam vera de rebus temporalibus noscere Dæmones permittuntur, inquit D. Augustinus, sanctis Angelis, quod ipsi ab omnipotente Deo discunt, iussu eius reuelantibus. Lib. 2. sup. Gen. cap. 27.

LXXI. Itaq; multa Diabolus præuidet & prædicit futura, vt dum per Pythonicam Diuinatricem significat Saulem interiturum &c.

LXXII. Probabilissimum enim est non verum Samuelem fuisse, qui Sauli Pythonissam consulenti respondit, sed ipsum Diabolum sub habitu viri iusti & nomine sese subornantem. 1. Reg. 28. D. Aug. lib. 2. ad Simpli. q. 3. In qq. vet. & no. test q. 27. in lib. de cu. pro mort. ag. lib. 2. de mirabi. scrip. In qq. Dulcitij q. 6. Tertulia. in li. de anima. Eucherius in qq. vtriusque test. Philastrius in Cat. Hęt.

LXXIII. Fallunt tamen & falluntur Dæmones non rarò, fallunt quidem propter inuidam suam voluntatem, qua hominum errore lætantur, falluntur autem ipsi quoq; quatenus non omnia scire ac præscire permittuntur.

LXXIIII. Hinc verborum & sententiarum ambigui-

tas in quibus quandoq; ludunt, vt videlicet quomodocunq; res cadat Diuini habeantur, quales amphibologiæ sunt: aio te Aiacida Romanos vincere posse. Crœsus Halin penetrans magnam perueret opum vim, suarum nè an alienarum?

LXXV. Magorum qui Malefici dicuntur conspiratione cum Diabolo, corpora & valetudo hominum aut etiam pecorum lædi possunt, atq; ita homo homini Diabolus. Et quidē fieri id potest ad sola verba Magica vel ad læsam hominis imaginem, attamen non vi verborum aut læsæ imaginis, verum potius vi diaboli cui DEVS aliquando talia permittit, vel ad puniendum malos, vel admonendum fideles, vel ad probandum iustos.

Aug. li. 3. de Trinit. cap. 7. Mag. 2. sentent. d. 7.

LXXVI. Solet nihilosecius Diabolus persuadere istis suis homuncionibus, quo in obsequio & officio eos facilius retineat, eosmet facere quæ ipse facit Sic cum tempus, quo aērem turbaturus est, instat, Magos vel Sagas admonet, vt illi carmina sua promant, istæ herbulas suas coquant, ollulamq; euertant, vt scopas in aquam intingant, aliasq; nugas & infanias falsas exerceant.

Psalm. 39.

LXXVII. Imò quasi cogeretur Diabolus ab istis suis mancipijs se consueuit gerere eādem ob causam quam suprà indicauimus, vt eos illaqueet magis & in sua seruitute retineat: quanquàm illud citrà absurditatem omnem asseri queat, non solum Angelos posse vim inferre Diabolis, sed ipsos quoque Diabolos superiores inferioribus, itaq; Magum fœdus habentem cum principali aliquo Dæmone, inferiores Dæmones cogere posse per illum principalem.

LXXVIII. Ex istis quæ hactenus adducta sunt satis superq; liquet Magicam superstitionem ex quadam pestifera hominum & dæmonum societate quasi pactum infidelis & dolosæ amicitiæ constitutam, & propterea Christiano penitus repudiandam & fugiendam esse, non quod Idolum sit aliquid, vt ait Apostolus, sed quia quæ immolant, Dæmonijs immolant & non DEO. Nolo autem vos socios fieri Dæmoniorū.

1. Cor. 10.

LXXIX. Vndè & seueriſſimè DEVS hanc nefariam curiositatem prohibuit: Non declinetis ad Magos, inquit in Leuitico, nec ab Ariolis aliquid scisscitemini, vt polluamini per eos. Et in Deutero. non inueniatur in te qui Ariolos scisscitetur, & obseruet somnia atq; auguria nec sit Maleficus nec incantator,

Cap. 19.

Cap. 18.

cantator, neq; qui Pythones consulat, neq; diuinos, & quærat à mortuis veritatem, omnia enim hæc abominatur Dominus.

LXXX. Quinimò & grauissimas pœnas in eos strinxit qui secus facerent, vt cum ait: Maleficos non patieris viuere, Item anima quæ declinauerit ad Magos & ariolos & fornicata cum eis fuerit, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui. Et, vir siue mulier, in quibus Pythonicus vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur, lapidibus obruent eos, sanguis eorum sit super illos. Exod. 22. cap. Leuit. 20. cap.

LXXXI. Sed & lege Euangelica Ecclesia anathematis gladio hoc artis & hominum genus ferit vt patet 26. q. 5. per totum, nec magis illi parcit Ciuilis & Imperatoria potestas vt videre est C. de Maleficis & Math. 26. q. 5. C. de Maleficis?

LXXXII. Hinc iam olim etiam secundum antiquissimas Romanorum leges multi de Magia postulati sunt, vt Appollonius Tyaneus apud Domicianum Cæsarem, & Apuleus apud Claudium Maximum Aphricæ præfectum, cuius, vt inquit Augustinus, copiosissima & disertissima extat oratio, qua crimen artium Magicarum à se alienum esse defendit. Hinc & Plinius Magicen execrabilem irritam & inteſtabilem appellauit. 8. de Ciuit. c. 19.

LXXXIII. Nec est vt quis opponat tam execrandas non esse artes istas Magicas, quia frequenter mandent etiam ipsæ quæ sancta & honesta sunt, vt ieiunare, castum esse, dicere Pater noster & Euangelium &c. Respondemus enim tantò peiorem esse superstitionem quantò plura miscentur bona, quoniam vndè debebat honorari DEVS, honoratur Diabolus.

LXXXIIII. Et vexat nimium quosdam qnod ex istis diuinationibus Magicis multa præterita & futura dicantur, nec aliter accidant quàm dicuntur. Sed his cum D. Augustino occurrimus: ab ijs inquit ille, DEVS animam non propterea deterruit, quia falsa dicantur à professoribus earum, sed quia vult, vt etiam si dixerint nobis & ita euenerit, non credamus. Non enim quia imago Samuelis mortui Sauli regi vera prænunciauit, propterea talia sacrilegia quibus imago illa præsentata est, minus execranda sunt: aut quia in Actibus Apostolorum ventriloqua fœmina verum testimonium perhibuit Apostolis Domini, ideo Paulus Apostolus pepercit illi spiritui, ac nō potius fœminam illius dæmonij correptione atq; exclusione mundauit. Lib. 2. de doct. Christi. Deut. 13. 1. Reg. 28. Actu 26.

Homel 15. in Numer.

LXXXV. In ſumma vt præclarè etiam hanc rem declarat Origenes: non vult nos Deus conſortes fieri Dæmonum, propter hoc & ipſe Dominus Ieſus non dignatur ab ijs teſtimonium recipere, ſed ait obmuteſce & exi ab eo, quem Apoſtolus Paulus ſpiritum Pythonicum eijciens imitatus eſt. Animaduertenda diligenter verba illa ſcripturæ: propter hoc ergò non erit auguratio in Iacob, neq; diuinatio in Iſraël, in tempore dicetur Iacob & Iſraeli quod perficiet Deus. Quid eſt, in tempore dicetur? cum oportet & cum expedit, hoc eſt in tempore. Quod ſi idcircò non dicuntur nobis quia nobis ea ſcire non expedit, qui diuerſis artibus & Dæmonum inuocationibus geſtiunt futura prænoſcere, nihil aliud faciunt, niſi quod ea cupiunt diſcere quæ ſibi ſcire non expedit. Hæc Origenes.

Mar. 1. Luc. 4. Act. 16. Num. 23.

LXXXVI. Tandem oppoſitionem ſuam conuertunt alij in grauem querimoniam: ecce clamant, iſte infirmus eſt & quidem in grande & luctuoſum totius familiæ, vel adeò totius alicuius gentis detrimentum, deſperatur à medicis, cur non per ſuperſtitioſa curabitur, præſertim ſi per ſuperſtitioſa ægritudine illa præſumatur teneri? nonnè vana vanis ſicut clauum clauo licet repellere? nonnè ſanitas & auxilium vndecunq; quæri poſſunt: ſicut ab herbis ita à verbis & à virtute ſpirituum ſicut à virtute corporum? Verum iſta quoq; obiectio inſulſa homineq; Chriſtiano planè indigna eſt.

LXXXVII. Conſtanter enim adhærendum eſt regulæ D Pauli quod non ſunt facienda mala vt bona eueniant, non ſunt igitur maleficia maleficijs repellenda, quin verò neceſſitate conſtricti cum Ioſaphat Rege Deo dicemus: cum ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros ad te dirigamus Domine. Tentetur via naturalis rationis, prudẽtiæ & artis. Hoc vocat facere quod in ſe eſt, nè videatur tentari Deus, qua via naturali deficiente ſolum reſtat in Dei miſericordiam refugium. Hæc autem miſericordia non ſuperſtitioſis obſeruationibus, ſed pijs diuini numinis obſecrationibus, non Dæmonum inuocationibus, ſed vitæ emendatione comparatur.

Rom. 3.

LXXXVIII. Pellitur & Maleficiũ procul dubio ſanctorum meritis & interceſſionibus, pellitur & ſancta crucis conſignatione, adiuratione, exorciſmis, precibus & Eccleſiæ quæ veritatis firmamentum eſt & columna ſacratiſſimis benedictio-

Lact. l. 4. c. 27. Greg. Naz. 2. in uect. cõſt. ap. lib. 9. Giſt. Eccl. lib. 5. Cypr. lib. 4. ep. Greg. 3. dialog. cap. 33. Aug. lib. 83. qq. q. 79. cer. de S. 9.

dictionibus (irrideant licet Hæretici) si integra fide totoq; mentis affectu ijs & alijs quæ vocant, Ecclesiæ sacramentalibus, vt aquæ lustralis asperſionibus &c. ritè vtamur & dæmonum nequiciæ fortiter reſistamus. Alex 1. Epiphanius lib. tom. 2. S. Thom. 22. q 90. a. 2.

LXXXIX. Cum enim Ecclesia ex authoritate Christi potestatem super dæmonia habeat, multum certè interest ad coercendos malignos spiritus, & eorũ varios conatus vti verbis & exorcismis ab Ecclesia institutis, vtpotè cum pro authorirate & reuerentia Ecclesiæ non sit prorsus vanum credere, quin Deus siue per se immediatè, siue per angelos suos ad talem inuocationem concurrat. Marc. vlt.

XC. At quanquam eiusmodi sacramentalia ad dæmones arcendos vel cogendos non valeant infallibiliter etiam legitimè vsitata, cum Deus eis suam potestatem non ita vt sacramentis obstrinxerit, magica tamen haudquaquã sunt, qualia per summam iniuriam, & impudentissimam calumniam à nouatoribus nostris traducuntur.

XCI. Sunt namq; diuinitus ad dilectionem Dei & proximi tanquã publicè constituta, iuxta illud Pauli, sanctificatur enim creatura per verbum Dei & orationem. S. Aug. de doctrina Christiana.

XCII. At minus fortè mirandum est viros istos, scilicet Euangelicos has consecrationes & benedictiones Ecclesiæ, vt Magicas reijcere, quando non verentur scribere, planè Magicũ esse, quod nostri sacerdotes prolatione horum quinq; verborum, hoc est enim corpus meum, existimant se panis substantiam mutare in corpus Christi.

XCIII. Nam quod addunt eosdem sacerdotes nostros cum halitu verba illa proferre, non facit prolationem Magicã, cum nulla in eo vis conficiendi sacramẽti à quoquam sacrificante ponatur. Tametsi interim etiam longè minima sit eorum pars, qui notabiliore expiratione verba illa enunciare soleant.

XCIIII. Nescire hac in materia nouos istos doctores, de quibus affirmant satis profecto illud vnum potest ostendere, quod dum de illo amuleti genere loquuntur, quod nobis agnꝰ Dei vocatur, ipsum ex cera & lana dicunt confici. Credo quia res istæ sacratæ plerunq; cum lana ab ipsis fuerint conspectæ, ex lana eos putasse conflatas, vt olim pagani Christum aiebãt libros quosdam Magicos scripsisse, & quidem ad discipulos suos Petrum & Paulum, propterea videlicet vt inquit D. Augustinus, 1. Timoth. 1. De conſe. Euang.

guſtinus quia plerunq; in picturis cum his duobus Chriſtus conſpiciatur.

XCV. Simile figmentum eſt quod dictitant nos hiſce rebus ſacratis multò plus tribuere quam conueniat, non aduertentes, aut diſſimulantes, multas comparationes non ſecundum æqualitatis, ſed proportionis & analogiæ rationem inſtiui. Ad quem modum vtiq; & Chriſtus illud voluit accipi: eſtote perfecti, ſicut & pater meus cæleſtis perfectus eſt. Vtcũq; igiť ſit, nõ eſt vt nobis illud obĵciãt, peccatũ frangit, vt Chriſti ſanguis. Imò verò quid ſi apud nos res iſtæ vera pietate exorciſatæ & conſecratæ haud paulo magis frangant peccatum, quã apud ipſos ſanguis Chriſti, cum non modo virtutem pietatis ipſi abnegent, ſed nec ſpeciem eius habeant, reſiſtentes veritati Catholicæ non minus quam olim Ægiptiorũ Magi Iannes & Mambre reſtiterunt Moyſi.

Matth. 5.

; ad Timoth. 3. Exod. 7.

πάρεργα.

I.

PEccatum Originale eſt accidens ſeparabile hominis, ità videlicẽt vt per baptiſmum non modò remittatur vt non imputetur amplius, verum etiam vt non ſit amplius. Quod dum nos Catholici dicimus Neopelagiani haudquaquàm ſumus, quin potius Neomanichæi ſunt ſiuè illi qui cum Illirico ipſum ſubſtantiam faciunt, ſiuè illi qui cum Lutheranis alĵs & Caluinianis ipſum accidens inſeparabile conſtituunt.

II. Qui in extrema neceſsitate poſito, cum poſsit, non ſubuenit, citrà vllam dubitationem peccati mortalis noxam incurrit: etſi ad Reſtitutionem alicuius damni aut detrimenti illati non teneatur.

III. Licitè Poteſtas aliqua publica diuites compellere poteſt vt in grauiſsimis aut extremis Reipub. neceſsitatibus erogent Eleëmoſinas.

IIII. Eucha-

IIII. Euchariſtia licitè, piè & iuxtà antiquiſsimam Eccleſiæ conſuetudinem in loco decenti à fidelibus conſeruatur (cum in ea extrà vſum etiam Chriſtus verè & realiter contineatur) ac proindè ſanctiſsimè & religioſè admodum in DEI Eccleſiam inductum fuiſſe hunc morem nemo negauerit vt ſingulis annis peculiari quodam & feſto die præcelſum hoc & venerabile Sacramentum ſingulari veneratione & ſolennitate celebraretur, & vt in proceſsionibus reuerenter & honorifice illud per vias & loca publica circumferretur. Ac ſic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæreſi triumphum agere vt eius aduerſarij in conſpectu tanti ſplendoris & in tanta vniuerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati & fracti tabeſcant vel pudore affecti & confuſi aliquandò reſipiſcant.

Concil. Triden. Seſs. 13. c. 5. &